

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

**Ioannis Andrae Hoffmanni Ivis Vtrivsqve Doctoris In  
Academia Lenensi Collectio Selectorvm Opvscvlvm De  
Vnionibvs Electorvm S.R.I.**

**Hofmann, Johann Andreas**

**Ienae, MDCCLII**

**VD18 12896357**

Avrea Bvlla Caroli Qvarti Rom. Imperatoris Norimbergae Et Metis A.  
MCCCLVI. Sancita.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18247**

**A V R E A B V L L A  
C A R O L I Q V A R T I  
R O M . I M P E R A T O R I S  
N O R I M B E R G A E E T M E T I S A . M C C L V I .  
S A N C I T A .**

**P R O O E M I V M .**

**I N N O M I N E S A N C T A E E T I N D I -  
V I D V A E T R I N I T A T I S F E L I C I T E R ,  
A M E N .**

**C**AROLVS QVARTVS diuina fauente clementia Romanorum imperator semper Augustus & Bohemiae rex, ad perpetuam rei memoriam. Omne regnum in se ipso diuisum desolabitur. Nam principes eius facti sunt socii furum. Ob quod Dominus miscuit in medio eorum spiritum vertiginis; vt palpent in meridie, sicut in tenebris. Et candelabra eorum mouit de loco suo; vt caeci sint & duces caecorum. Et qui ambulant in tenebris, offendunt; & caeci mente scelera perpetrant, quae in diuisione contingunt. Dic superbia quomodo in Lucifero regnasses: si diuisionem auxiliatricem non habuisses? Dic Satan inuide, quomodo Adam de paradiſo eiecisses, nisi eum ab obedientia diuisisſes? Dic luxuria, quomodo Troiam destruxisses, nisi Helenam a viro suo diuisisſes? Dic Ira! quomodo Romanam Rempublicam destruxisses, nisi in diuisione Pompeium & Iulium saeuientibus gladiis ad intestina proelia concitasses? Tu qui-

G g 2 dem



dem inuidia Christianum Imperium, a DEO ad instar sanctae & indiuiduae Trinitatis, fide, spe & charitate, virtutibus Theologicis, roboratum; cuius fundamentum super Christianissimo regno feliciter stabilitur, antiquo veneno, velut serpens in palmites imperiales, & membra eius propinquiora, impio scelere vomuisti, vt concussis columnis, totum aedificium ruinae subiiceres, diuisionem inter septem Electores sacri Imperii, per quos velut septem candelabra lucentia in vnitate spiritus septiformis sacrum illuminari debet imperium, multoties posuisti. Sane cum ex officio, quo Caesarea dignitate potimur, futuris diuisionum periculis inter Electores ipsos, de quorum numero, vt Rex Bohemiae, esse dignoscimur, ratione dupli, tam ex Imperio, quam Electionis Iure, quo fungimur, occurrere teneamur: ad vnitatem inter Electores fouendam, Electionem vnamimem inducendam (\*), ac detestandae diuisione praedictae, variisque periculis, ex ea sequentibus aditum paecludendum, in solenni Curia nostra Nurebergensi, assidentibus nobis omnibus Principibus, Electoribus, Ecclesiasticis & Secularibus ac aliorum Principum, Comitum, Baronum, Procerum, Nobilium, & Ciuitatum multitudine numerosa in folio Maiestatis Caesareae, Imperialibus insulis insigniis & diademat ornati, matura deliberatione praeuia, de Imperialis potestatis plenitudine edidimus, statuimus & duximus fanciendas. Sub anno Domini millesimo

(\*) Ex his verbis appetat cauſa, quae imperatorem permisit ad controuerſias electorum tollendas, atque electionem imperatriciam stabiliendam & confirmandam. *vid. b. STRVVI Synt. iur. publ. c. VI. §. 7.*



mo trecentesimo quinquagesimo sexto, Indictione nona, quarto Idus Ianuar. Regnorum nostrorum anno décimo Imperii vero primo.

## CAPVT I.

QVALIS ESSE DEBEAT CONDVCTVS  
ELECTORVM, ET A QVIBVS?

## §. I.

**D**ecernimus & praesenti Edicto Imperiali, perpetuo valituro, sancimus, ex certa scientia, & de Imperialis potestatis plenitudine, vt quotiescumque & quandocunque futuris temporibus necessitas siue casus Electionis Regis Romanorum, in Imperatorem promouendi, emerserit, & Principes Electores ad Electionem huiusmodi iuxta antiquam laudabilem consuetudinem, habuerunt proficisci, vnuquisque Princeps Elector, si & quando super hoc fuerit requisitus, quoslibet Principes Coelectores suos, vel ipsorum Nuncios, quos ad Electionem ipsam transmiserint, per terras, territoria & loca sua & etiam ultra, sicut longius poterit, conducere teneatur, & eis, absque dolo, praestare conductum, versus Ciuitatem, in qua talis Electio fuerit celebranda, & ab illa etiam redeundo, sub poena periurii & perditionis, pro illa duntaxat vice, suae vocis, quam in Electione huiusmodi fuerat habiturus. Quas quidem poenas eos, vel eum, qui in praestando memorato conductu rebelles, seu rebellem, negligentes vel negligentem se praebuerint, eo ipso decernimus, incidisse.

§. II. Statuimus insuper, & mandamus vniuersis aliis Principibus, Feuda a sacro Imperio Romano tenantibus, quoeverunque nomine censeantur, nec non Comitibus, Baronibus, Militibus, Clientibus, Nobilibus & Ignobilibus, Ciubus & Communitatibus Castrorum, Ciuitatum & Locorum sacri Imperii vniuersis, vt eodem tempore, dum

Gg 3

vide-



videlicet Regis Romani in Imperatorem promouendi, Ele<sup>t</sup>io celebranda occurerit, vnumquemque Principem Ele<sup>t</sup>orem, ab ipsis vel eorum aliquo conducedum huiusmodi postulantem vel eiusdem Nuncios, quos ad Electionem ipsam direxerit, vt praesentur, per territoria sua, & alias, quando possint remotius, absque dolo, modo praedicto conducant. Si qui vero huic nostrae Constitutioni contraire praesumferint, subscriptas eo ipso poenas incurvant. Omnes quidem Principes & Comites, Barones, Nobiles, Milites & Clientes, ac vniuersi nobiles contrarium facientes, reatum periurii & priuationem omnium feudorum, quae a sacro Romano Imperio, & a quibuscumque aliis obtinent, & etiam omnium possessionum suarum, a quo cumque habitarum, incurvant. Omnes quoque Ciues, & Communitates, contra praemissa facere praesumentes, similiter sint periuri, & nihilominus vniuersis suis iuribus, libertatibus, priuilegiis, gratiis, a Sacro obtentis Imperio, sint omnino priuati, & cum personis & bonis suis omnibus Bannum & proscriptionem Imperiale incidunt atque eosdem ipso facto, ex nunc, pro vt ex tunc, omni iure priuamus. Deinceps cuilibet hominum autoritate propria & sine iudicio seu inuocatione magistratus cuiuslibet, impune licebit eos inuadere, nullamque poenam propter hoc inuadens ipsos ab Imperio aut quis alio debet formidare, praesertim cum contra Rempublicam, ac sacri statum Imperii ac dignitatem ac etiam contra honorem proprium & salutem, tantae rei temerarii negligentes, tanquam rebelles, in obedientes & perfidi, infideliter & peruerse agere conuincantur.

§. III. Decernentes insuper & mandantes, vt omnium Ciuitatum Ciues, & Communitates, iam dictis Principibus Electoribus & eorum cuilibet hoc poscendi, eorumque Nuntiis, victualia in communi pretio atque cursu pro suis, seu Nunciorum praedictorum, hominumque suorum necessitatibus, dum ad praedictam Ciuitatem causa celebrandae



dae Electionis praedictae accesserint, & etiam dum discesserint ab eadem vendere seu vendi facere teneantur, nullam in praemissis fraudem quomodolibet adhibendo. Alioquin contrarium facientes, poenas illas volumus ipso facto incurrire, quas in praecedentibus contra Ciues & Communitates duximus promulgandas.

§. IV. Quisquis insuper ex Principibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Clientibus, Nobilibus, seu Ignobilibus, Ciubus, seu Communitatibus Ciuitatum, Principi Electori ad Electionem de Rege Romanorum celebrandam eunti, vel ab ipsa denuo redeunti, hostiles custodias tendere seu insidias parare praesumferit, aut ipsos, vel eorum aliquem, in sua, vel suorum personis aut rebus inuadere vel turbare, seu ipsorum, vel alicuius eorum Nuncios antedictos, siue conductum petierint, siue non duxerint exigendum, hunc vna cum vniuersis malitiae sua complicitibus, ipso facto supradictas paenas decernimus incurrisse. Ita videlicet, quod quaevis persona paenam incidat, siue poenas, quas iuxta praemissa, pro qualitate personarum, duximus infligendas.

§. V. Si vero aliquis Princeps Elector cum aliquo suo Coelectore inimicitias gereret, & inter eos quaecunque contentio, controuersia, seu dissensio verteretur, his nequaquam obstantibus, alter alterum, vel alterius Nuncios, ad Electionem huiusmodi destinandos, praemisso modo conducere sit adstrictus, sub poena periurii ac perditonis ea vice duntaxat, suae vocis in electione, ut superius est expressum.

§. VI. Si qui vero alii Principes, Comites, Barones, Milites, Clientes, Nobiles & Ignobiles, Ciues vel Communia Ciuitatum, cum aliquo Principe Electore, vel pluribus ex iisdem, aduersam gererent voluntatem seu quaevis discordia inter ipsos ad inuicem, vel guerra siue dissensio verteretur, nihilominus, omni contradictione & dolo cessantibus Principibus Electoribus seu eius vel ipsorum Nunciois, ad Electionem huiusmodi destinandis, & redeuntibus



tibus ab eadem, talem debeant praestare conductum; pro-  
vt singuli, poenas iam dictas per nos videlicet in se latas,  
voluerint euitare. Quas eos, qui fecus fecerint, incur-  
risse decernimus eo ipso.

§. VII. Ad praemissorum autem omnium firmitatem  
& certitudinem ampliorem iubemus & volumus, vt vni-  
uersi Principes Electores & ceteri Principes, nec non Co-  
mites, Barones, Nobiles, Ciuitates, praemissa omnia lite-  
ris & iuramentis suis firmare, & ad ea bona fide ac sine  
dolo implenda efficaciter se debeant obligare. Quicun-  
que vero literas huiusmodi dare renuerit, paenas illas ipso  
facto incidat, quas pro personarum conditione, per pre-  
missa, singulis duximus infligendas.

§. VIII. Si quis autem Princeps Elector, aliusue Prin-  
ceps, cuiuscunque conditionis aut status, feudum vel feu-  
da a Sacro tenens Imperio, aut Comes, Baro, vel Nobilis,  
seu successores talium, vel haeredes, supra & infra  
scriptas Imperiales nostras Constitutiones & Leges ad im-  
plere noluerit, aut eis contraire praefumserit; siquidem  
talis Princeps Elector extiterit, ex tunc ceteri sui Coele-  
tores a suo ipsum deinceps excludant consortis, ipseque  
voce Electionis & aliorum Principum Electorum loco, di-  
gnitate careat atque Iure, nec inuestiatur de feudis, quae  
a sacro Imperio visus fuerit obtinere; Alius vero Princeps,  
aut vir nobilis, vt praefertur, in has nostras leges comitt-  
tens, similiter non inuestiatur de feudis, quae a sacro Im-  
perio, vel alias obtinet a quocunque, & nihilominus in  
omnes poenas praemissas, suam concernentes personam,  
incidat eo ipso.

§. IX. Quamuis autem vniuersos Principes, Comites,  
Barones, Nobiles, Milites, Clientes, Ciuitates quoque &  
Communitates ad praestandum cuilibet Principi Electori,  
vel eius Nuntiis, praefatum conductum, vt praedicitur,  
indistincte velimus & decreuerimus obligari, nihilominus  
eorum cuilibet singulares conductus & conductores, pro  
regionum & locorum adiacentia, cuilibet magis aptos,  
duxiri.



duximus designandos, vt statim per sequentia plenius apparebit.

§. X. Primo namque Regem Bohemiae, sacri Imperii Archipincernam, conduceant Archiepiscopus Moguntinensis, Bambergensis & Herbipolensis Episcopi, Burggrauius Nurenbergensis: Item illi de Hohenlohe, de Wertheim, de Brunecke, & de Hannowe. Item Ciuitates Nurenberg, Rotenburg & Windesheim.

§. XI. Deinde Archiepiscopum Colonensem, sacri Imperii per Italiam Archicancellarium, conduceant & conducere tenebuntur, Moguntinensis & Treuerensis Archiepiscopi: Comes Palatinus Rheni; Landgrauius Hassiae: item de Kazenellenbogen, de Nassau, de Dietz, Comites; Item de Isenburg, de Westerburg, de Runckel, de Limburg & Falckenstein. Item, Ciuitates, Wezlar, Geylnhausen & Friedberg.

§. XII. Item Archiepiscopum Treuerensem, sacri Imperii per Galliam & Regnum Arelatense Archicancellarium, conduceant Archiepiscopus Moguntinensis, Comes Palatinus Rheni; Item de Spanheim de Veldenz, Comites; Item die Raugraffen, Wildgraffen, de Nassau, de Isenburg, de Westenburg, de Runckel, de Limpurg, de Dietz, de Katzenellenbogen, de Eppenstein, de Falckenstein, item ciuitas Moguntinensis.

§. XIII. Deinde Comitem Palatinum Rheni sacri Imperii Archidapiferum, conducere debet Archiepiscopus Moguntinensis.

§. XIV. Ducem vero Saxonie sacri Imperii Archimarescallum, tenebitur conducere Rex Bohemiae, Moguntinensis & Magdeburgensis Archiepiscopi: Item Bambergensis & Herbipolensis Episcopi: Marchio Misnensis, Landgrauius Hassiae; Item Fuldensis & Hirschfeldensis Abbes; Burgrauii Nuremberg, item illi de Hohenloch, de Wertheim, de Brunecke, de Hanov, & de Falckenstein. Item Ciuitates Erfordia, Mülhusen, Nürenberg, Rotenburg & Windesheim.



§. XV. Et hi omnes proxime nominati Marchionem Brandenburgensem, sacri Imperii Archicamerarium, similiter conducere tenebuntur.

§. XVI. Volumus autem & expresse statuimus, ut unusquisque Princeps Elector, qui tales voluerit habere conductum, his, a quibus ipsum postulare decreuerit, hoc ipsum adeo tempestue, viamque, qua fuerit transiturus, insinuet, & tales conductum exposcat, ut illi, qui ad conductum huiusmodi impendendum deputati, & qui fuerint requisiti, ad hoc opportune se valeant & commode praeparare.

§. XVII. Praemissas vero Constitutiones, circa materiam conductus editas, ita sane debere declaramus intelligi, ut unusquisque superius nominatus, vel forsan non expressus, a quo in casu praemisso conductum requiri contigerit, ad praestandum ipsum per suas duntaxat terras ac territoria ac etiam ultra, quanto potest remotius, absque dolo, sub poenis contentis superius, sit adstrictus.

§. XVIII. Praeterea statuimus & etiam ordinamus; ut Archiepiscopus Moguntinensis, qui fuerit pro tempore, singulis Principibus Coelectoribus suis Ecclesiasticis & Secularibus, electionem eandem per suos Nuncios patentibus debeat literis intimare. In quibus quidem literis talis dies & terminus exprimatur, infra quem eadem literae ad singulos eosdem Principes verisimiliter possint peruenire.

§. XIX. Huiusmodi vero literae continebunt, ut, a die in literis ipsis expressa, infra tres menses continuo, omnes & singuli Principes Electores Franckenford super Moganum esse debeat constituti, vel suos legales ad eundem terminum atque locum Nuncios destinare, cum plena & omnimoda potestate suisque patentibus literis, maiori cuiuslibet eorum Sigillo signatis, ad eligendum Romanum Regem, in Caesarum promouendum.

§. XX. Qualiter autem, & sub qua forma tales literae confici debeat, & quae in eis solennitas debeat immutabiliter obseruari, & in qua forma & modo Principes Electores,



Etores, Nuncios suos ad Electionem huiusmodi destinando, ac potestatem, mandatum seu procuratoria ordinare debuerint, ad finem praesentis libri conscriptum inueniatur clarius & expressum. Et eandem formam illic traditam mandamus, & de imperialis potestatis plenitudine usque qua que decernimus obseruari.

§. XXI. Cum autem ad hoc peruentum fuerit, quod de Imperatoris vel Regis Romanorum obitu in Dioecesi Maguntinensi constiterit, ex tunc infra vnum mensem, a die notitiae obitus huiusmodi continue numerandum; singulis Principibus Electoribus obitum, & intimationem, de quibus praemittitur, per Archiepiscopum Moguntinensem iubemus & decernimus suis patentibus litteris declarari. Quod si idem Archiepiscopus in executione & intimatione huiusmodi negligens aut remissus fortassis existaret, ex tunc iidem Principes motu proprio, etiam non vocati, pro fidei suae virtute, qua sacrum prosequi tenentur Imperium, post haec infra tres menses, sicut in Constitutione proxime posita supra continetur, in Ciuitate Franckenfordensi saepe dicta conueniant, electuri Regem Romanum in Caesarem promouendum.

§. XXII. Debet autem unusquisque Princeps Elector, vel sui Nuntii, praedictam Ciuitatem Franckenfordensem cum ducentis equitaturis tantummodo praefatae Electionis tempore introire. In quorum numero quinquaginta tantum armatos vel pauciores, introducere poterit, sed non plures.

§. XXIII. Princeps vero Elector, ad electionem huiusmodi vocatus & requisitus, & ad ipsam non veniens, vel legales Nuncios cum litteris patentibus, sigillo suo maiori sigillatis, plenamque liberam ac omnimodam potestatem continentibus, ad eligendum Romanum Regem, futurum Imperatorem, non dirigens, aut veniens: aut huiusmodi Nuncios forte transmittens, si postea Princeps ipse aut praedicti Nuntii, a praedicto electionis loco recederent, Rege Romanorum futuro Caesare non electo, nec



ad praemissa Procuratore legitimo substituto solenniter & relictō, electionis voce seu iure quod in eadem Electione habuit, & tali modo deseruit, careat ea vice.

§. XXIV. Iniungimus autem Ciuibus de Franckenfurt & mandamus, vt ipsi vniuersos Principes Electores in genere & quemlibet eorum, ab inuasione alterius, si quid inter eos aduersitatis emerget & etiam ab omni homine cum omnibus eorum hominibus, quos ipse & eorum qui libet in praefato ducentorum equorum suorum numero ad praefatam duxerint Ciuitatem, in virtute iuramenti, quod super hoc ipsos ad sancta praestare statuimus, fidel studio & solerti diligentia protegant ac defendant. Alioquin periurii reatum incurvant, & nihilominus omnia iura sua, Libertates, Priuilegia, Gratias & Indulta, quae a Sacro obtinere noscuntur Imperio, omnino amittant banumque Imperiale cum personis & bonis suis omnibus incident eo ipso. Et liceat ex tunc omni homini auctoritate propria, ac sine iudicio ciues eosdem, quos eo casu ex nunc, prout ex tunc, omni iure priuamus, tanquam proditores infideles & rebelles Imperii, impune inuadere: Ita, quod inuidentes huiusmodi, poenam quamcunque a sacro Imperio, vel quis alio, nequaquam debeant formidare.

§. XXV. Ciues insuper antedicti de Franckenfort, per omne tempus illud, quod super electione, saepe dicta, tractari & agi contigerit, neminem in praefatam Ciuitatem, cuiuscunque dignitatis, conditionis vel status extiterit, intromittant, vel intra quouis modo permittant: Principibus Electoribus & eorum Nunciis & Procuratoribus antedictis duntaxat exceptis. Quorum quilibet cum ducentis equis debebit, vt praedicitur, intromitti.

§. XXVI. Si vero post ipsorum Principum Electorum introitum, seu in ipsorum praesentia, in praefata Ciuitate aliquem reperiri contigerit, illius exitum ciues ipsi debent absque mora & cum effectu protinus ordinare. Sub omnibus poenis, contra ipsos superius promulgatis, ac etiam



etiam in virtute iuramenti, quod Ciues ipsi de Franckenfort super eo, virtute praesentis constitutionis, praestare debebunt ad sancta, ut in praecedentibus est expressum.

## CAPVT II.

## DE ELECTIONE ROMANI REGIS.

## §. I.

**P**ostquam autem saepe dicti Electores seu Nuncii Civitatem Franckenfort ingressi fuerint, statim sequenti die diluculo, in Ecclesia sancti Bartholomaei Apostoli ibidem, in omnium ipsorum praesentia, Missam de sancto Spiritu faciant decantari ad finem, ut ipse sanctus Spiritus corda ipsorum illustret, & eorum sensibus lumen suae virtutis infundat. Quatenus ipsi suo fulti praesidio, hominem iustum, bonum & utilem eligere valeant, in Regem Romanorum futurumque Caesarem, ac pro salute populi Christiani.

§. II. Peracta quoque Missa huiusmodi, omnes illi Electores seu Nuncii accedant ad altare, in quo Missa eadem extitit celebrata, ubi Principes Electores Ecclesiastici coram Euangeliō beati Iohannis, in principio erat verbum, quod illic ante ipsos ponit debet, manus suas pectori cum reverentia superponant. Seculares vero Principes Electores dictum Euangeliū corporaliter manibus suis tangant. Qui omnes cum tota sua familia tunc ibi debebunt inermes adīstere. Et Archiepiscopus Moguntinensis formam iuramenti eis dabit, & vna cum ipsis, & ipso, vel absentiam Nuntii vna cum eo iuramentum praestabunt vulgariter in hunc modum.

§. III. Ego N. Archiepiscopus Moguntinensis, sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius ac Princeps Elector, iuro ad sancta Dei Euangelia, hic praesimaliter coram me posita, quod ego per fidem, qua Deo & sacro Romano Imperio sum adstrictus, secundum omnem discre-

Hh 3

tionem



tionem & intellectum meum, cum Dei adiutorio, eligerre volo temporale caput populo Christiano, id est, Regem Romanorum in Caesarem promouendum, qui ad hoc existat idoneus, in quantum discretio & sensus mei me dirigunt, & secundum fidem praedictam. Vocemque meam & votum, seu Electionem praefatam, dabo absque omni pacto, stipendio, pretio vel promisso, seu quocunque modo talia valeant appellari. Sic me Deus adiuuet & omnes Sancti.

§. IV. Praestito denique per Electores, seu Nuncios, in forma & modo praedictis, huiusmodi iuramento, ad Electionem procedant, nec a modo de iam dicta Ciuitate Franckenfort separantur, nisi maior pars ipsorum temporale caput mundo elegerit, seu populo Christiano, Regem videlicet Romanorum, in Caesarem promouendum.

§. V. Quod si facere distulerint infra triginta dies, a die praestiti iuramenti praefati continuo numerandos: Ex tunc exactis eisdem triginta diebus, a modo panem manducent & aquam bibant & nullatenus Ciuitatem exeant antedictam, nisi prius per ipsos, vel maiorem partem ipsorum, Rector seu temporale caput fidelium electum fuerit, ut praefertur.

§. VI. Postquam autem in eodem loco ipsi vel pars eorum maiori numero elegerit, talis Electio perinde haberi & reputari debet, ac si foret ab ipsis omnibus, nomine discrepante, concorditer celebranda.

§. VII. Sique per tempus aliquod morari, abesse & tardare contingeret aliquem de Electoribus seu Nunciis antedictis, dum tamen veniret, antequam praedicta esset Electio celebrata; hunc ad Electionem ipsam in eo statu admitti debere decernimus, in quo ipsa, aduentus sui tempore consistebat.

§. VIII. Et quia de antiqua, approbata & laudabili consuetudine tam inconculse, quam immutabiliter, quod subscriptitur, semper extitit hactenus obseruatum: ideoque & Nos constituimus, & de imperialis decernimus plenitu-



nitudine potestatis, quod is, qui modo praemisso in Regem fuerit Romanorum electus, peracta statim electione huiusmodi, priusquam in aliquibus causis aliis, siue negotiis, virtute sacri Imperii administret, vniuersis & singulis Principibus Electoribus, Ecclesiasticis & Secularibus, qui propinquiora sacri Imperii membra esse noscuntur, omnia ipsorum Priuilegia, Literas, Iura, Libertates, Concessiones, antiquas consuetudines, & etiam dignitates, & quicquid ipsi ab Imperio vsque in diem Electionis suae obtinuerunt & possederunt, absque dilatione & eontradictione confirmare, & approbare debeat, per suas literas & sigilla, ipsisque praemissa omnia innouare, postquam Imperialibus fuerit Insulis coronatus.

§. IX. Confirmationem autem huiusmodi electus ipse cuilibet Principi Electori in specie primo suo nomine Regali faciet, & deinde sub Imperiali titulo innouabit, & in his ipsos Principes in genere, & quemlibet eorum in specie, nullatenus impedire, sed potius absque dolo gratiose tenebitur promouere.

§. X. In casu denique, quo tres Principes Electores praesentes, seu absentium Nuncii, quartum ex se, seu ipsorum consortio videlicet Principem electorem praesentem vel absentem in Regem Romanorum elegerint, vocem illius electi, si praefens affuerit, aut Nunciorum ipsius, si eum abesse contigeret, plenum vigorem habere & eligentium augere numerum, partemque maiorem decernimus constituere, ad instar ceterorum Principum Electorum.

## CAPVT



## CAPVT III.

DE SESSIONE TREVIRENSIS, COLO-  
NIENSIS ET MOGVNTINENSIS,  
ARCHIEPISCOPORVM.

*In nomine sanctae & individuae Trinitatis  
feliciter, Amen.*

## §. I.

CAROLVS QVARTVS, diuina fauente clementiae Romanorum Imperator semper Augustus, & Bohemiae Rex, ad perpetuam rei memoriam §. I. Decor & gloria Sacrosancti Romani Imperii & honor Caesareus & Reipublicae grata compendia, venerabilium & illustrium Principum Electorum concordi voluntate fouentur. Qui velut columnae, proceres sacrum aedificium circumspetae prudentiae solerti pietate sustentant. Quorum praefidio dextra Imperialis potentiae roboratur & quanto mutui fauoris ampliori benignitate stringuntur, tanto vberioris pacis & tranquillitatis commoda feliciter profluunt populo Christiano.

§. II. Ut igitur inter venerabiles Moguntinensem, Coloniensem nec non Treuirensim Archiepiscopis, Imperii sacri Romani Electores, omnium litium & suspectum mala quae & qui de prioritate seu dignitate sessionum suarum in Curiis Imperialibus & Regalibus suboriri valerent in posterum perpetuis in antea temporibus amputentur, & ipsi in cordis & animorum quieta conditione manentes de opportunitatibus sacri Imperii concordi fauore & virtuosae dilectionis studio conuenientius meditari valeant, pro consolatione populi Christiani, habita deliberatione cum omnibus Principibus Electoribus, tam Ecclesiasticis, quam Secularibus, &c, de ipsorum consilio, decernimus & de Imperatoriae potestatis plenitudine hac editali lege, perpetuo



tuo valitura, sancimus, quod supra dicti venerabiles Archiepiscopi Treuirenſis videlicet ex oppoſito & linearī di- rectione versus Imperatoris faciem: Moguntinensis vero in ſuis Dioceſi & Prouincia, & extra Prouinciam ſuam, in toto Archicancellariatu ſuo Germanico, prouincia Coloniensi duntaxat excepta: & demum Colonienſis in ſuis Dioceſi, & Prouincia, & extra Prouinciam ſuam in tota Italia & Gallia, in dextro latere Romanorum Caefaris ſe- dere poſſint, valeant, & debeant, in omnibus publicis acti- bus Imperialibus, puta Iudiciis, Collationibus feudorum, in refectionibus Mensarum, ac etiam in Consiliis & omni- bus aliis agendis, propter quae contingit, ſeu continget, eos pro honore ſeu vtilitate Imperiali traſtandis, mutuo conuenire. Et hunc modum ſeffionis ſub eo omni ordine, ſicut expreſſatur ſuperius, ad praedictorum Colonien- ſis, Treuirenſis & Moguntinensis Archiepifcoporum ſuc- ceſſores perpetuo extendi volamus, vt nullo vñquam tem- pore ſuper his quaeuis dubietas generetur.

## CAPVT IV.

DE PRINCIPIBVS ELECTORIBVS  
IN COMMVNIS.

## §. I.

**S**tatuimus insuper, vt quotiescumque Imperiale Curiam ex nunc in antea celebrari contigerit, in qualibet ſeffione, videlicet tam in consilio, quam in Mensa, & locis aliis quibuscumque, vbi Imperatorem vel Regem Roma- num cum Principibus Electoribus ſedere contigerit, a dextero latere Imperatoris vel Regis Romanorum immediate post Archiepifcopum Moguntinensem & Colonensem, il- lum videlicet, quem tunc temporis, pro qualitate loco- rum, & varietate Prouinciarum, iuxta Priuilegii ſui teno- rem dicto lateri dextro Imperatoris affidere contigerit, Rex Bohemiae, cum ſit Princeps coronatus & vncius, pri- mum, & post eum continuo Comes Palatinus Rheni ſe-

II

cundum,



cundum, sedendi loca debeant obtinere, ad sinistram vero partem immedie post illum, quem ex praedictis Archiepiscopis in latere sinistro sedere continget, primum locum Dux Saxonie & post eum Marchio Brandenburgensis alterum obtinebit.

§. II. Ceterum, quoties & quando deinceps sacrum vacare continget Imperium, ex tunc Moguntinensis Archiepiscopus potestatem habebit, sicut potestatem habuisse dignoscitur ab antiquo, ceteros Principes ante dictos, suos in dicta Electione consortes, literatorie conuocandi.

§. III. Quibus omnibus, seu his, qui potuerint, & voluerint interesse in Electionis termino inuicem congregatis, dictus Archiepiscopus Moguntinensis, & non alter, eorumdem Coelectorum suorum vota singulariter habebit inquirere ordine subsequenti.

§. IV. Primo quidem interrogabit a Treuirensi Archiepiscopo, cui primam vocem competere declaramus, sicut inuenimus hactenus competuisse. Secundo, a Coloniensi Archiepiscopo, cui competit dignitas, nec non officium, Romano Regi primum Diadema Regium imponendi.

Tertio, a Rege Bohemiae, qui inter Electores laicos ex Regiae dignitatis fastigio iure & merito obtinebit primatum.

Quarto a Comite Palatino Rheni.

Quinto a Duce Saxonie.

Sexto a Marchione Brandenburgensi.

Horum omnium vota, praemisso iam ordine, dictus Archiepiscopus Moguntinensis perquiret. Quo facto, dicti Principes, sui consortes, ipsum vice versa requirent, ut & ipse intentionem suam exprimat & ipsis aperiat votum suum.

§. V. Praeterea in celebratione Imperialis Curiae, Marchio Brandenburgensis aquam lauandis Imperatoris vel Regis Romanorum manibus ministrabit. Primum vero potum Rex Bohemiae, quem tamen sub Corona Regali, iuxta priuilegiorum suorum continentiam, nisi libera voluntate voluerit, non tenebitur ministrare. Comes etiam Palatinus



Iatius cibum afferre tenebitur. Dux Saxoniae Mareschal-latus officium exercebit, ut solitum est, fieri ab antiquo.

## CAPVT V.

DE IVRE VICARIATVS COMITIS  
PALATINI ET SAXONIAE DVCIS.

## §. I.

**Q**uoties insuper, vt praemittitur, sacrum vacare con-tinet Imperium, illustris Comes Palatinus Rheni, sacri Imperii Archidapifer, ad manus futuri Regis Romanorum in partibus Rheni & Sueviae & in Iure Franconico, ratione Principatus, seu Comitatus Palatini priuilegio, esse debet prouisor ipsius Imperii, cum potestate iudicia exer-cendi, ad beneficia Ecclesiastica p[ro]aefentandi, recolligendi reditus, & prouentus, & inuestiendi de feudis iuramenta fidelitatis, vice & nomine sacri Imperii recipiendi, quae tamen per Regem Romanorum, postea electum, suotem-pore innouari, & de nouo sibi iuramenta p[ro]aestari debe-bunt. Feudis Principum duntaxat exceptis, & illis, quae Vanlehen vulgariter appellantur, quorum inuestituram & collationem soli Imperatori, vel Regi Romanorum specia-liter reseruamus. Ipse tamen Comes Palatinus omne ge-nus alienationis seu obligationis rerum Imperialium hu-iusmodi prouisionis tempore, expresse sibi nouerit inter-dictum.

§. II. Et eodem (\*) iure prouisionis, illustrem Ducem Sa-xoniae, sacri Imperii Archimareschallum, frui volumus in illis locis, vbi Saxonica iura seruantur, sub omnibus mo-dis & conditionibus, sicut superius est expressum.

§. III. Et quamuis Imperator siue Rex Romanorum su-per caulis, pro quibus impeditus fuerit, habeat, sicut ex consuetudine introductum dicitur, coram Comite Palati-no Rheni, sacri Imperii Archidapifero, Electore Princi-pe, respondere: illud tamen iudicium Comes ipse Palati-

II 2

nus

(\*) vid. Capit. Iosephi art. 35.



nus non alibi praeterquam in Imperiali Curia, vbi Imperator seu Romanorum Rex praesens extiterit, poterit exercere.

### CAPVT VI.

## DE COMPARATIONE PRINCIPVM ELECTORVM AD ALIOS PRINCI- PES COMMVNES.

### §. I.

**D**ecernimus, vt in celebratione Imperialis Curiae, quotiescunque illam deinceps perpetuo celebrari contigerit, antedicti Principes Electores Ecclesiastici & Seculares iuxta praescriptum ordinem atque modum, a dexteris & a sinistris immutabiliter teneant loca sua, eisque vel eorum alicui, in quibuscunque actibus, ad Curiam ipsam spectantibus, eundo, sedendo vel stando, nullus Princeps alius, cuiuscunque status, dignitatis (\*) praeminentiae, vel conditionis existat, vllatenus preeferatur. Eo signanter expresso, quod nominatim Rex Bohemiae in celebratione Curiarum huiusmodi, in omnibus & singulis actibus antedictis, quemcunque Regem alium, quacunque etiam singulari dignitatis prerogativa fulgentem, quae quisca causa seu causa venire vel adesse forte contingeret, immutabiliter antecedat.

### CAPVT VII.

## DE SVCCESIONE PRINCIPVM.

### §. I.

**I**nter solicitudines illas innumerass, (\*\*) quibus pro felici statu sacri Imperii, cui auctore Domino feliciter praesidemus, cor nostrum quotidie fatigatur, ad hoc praecipue meditatio nostra dirigitur, qualiter desiderata & salubris semper vnio inter sacri Imperii Principes Electores iugiter vigeat, & corda eorum in sincerae charitatis concordia conser-

(\*) vid. capit. Iosephi art. V.

(\*\*) Hic inuenitur in quibusdam Codic. prooemium quoddam.



conseruentur, quorum prouidentia suo tempore orbi flu-  
ctuanti tanto celerius, tantoque facilius subuenitur, quan-  
do inter illos nullus error surrepserit, & purior fuerit  
charitas custodita, obscuritate succisa, & iure cuiuslibet  
dilucide declarato.

§. II. Sane, generaliter longe lateque est publicum, &  
quasi per totum orbem notorie manifestum; illustres,  
Regem Bohemiae, nec non Comitem Palatinum Rheni,  
Ducem Saxoniae & Marchionem Brandenburgensem, vir-  
tute Regni & Principatum suorum, in Electione Regis  
Romanorum in Caesarem promouendi, cum ceteris Prin-  
cipibus Ecclesiasticis seu Coelectoribus, ius, vocem & lo-  
cum habere, & vna cum ipsis censeri & esse veros & legi-  
timos sacri Imperii Principes Electores. Ne inter eorun-  
dem Principum Secularium Electorum filios super iure,  
voce & potestate praefata, futuris temporibus scandaloi-  
rum & dissensionum possit materia suscitari, & sic bonum  
commune periculosis dilationibus impediri, futuris, au-  
ctore Domino, cupientes periculis salubriter obuiare.  
Statuimus & Imperiali auctoritate praesenti lege perpe-  
tuis temporibus valitura, decernimus, vt, postquam iu-  
dem Principes Electores Seculares, & eorum quilibet esse  
desierit, ius, vox & potestas Electionis huiusmodi ad fili-  
um suum primogenitum, legitimum, laicum; illo vero  
non extante, ad eiusdem primogeniti filium similiter lai-  
cum, libere, & sine contradictione cuiuspiam deuoluatur.

§. III. Si vero primogenitus huiusmodi, absque haer-  
edibus masculis, legitimis, laicis, ab hac luce migraret,  
virtute praesentis Imperialis edicti, ius, vox & potestas  
Electioonis praedictae ad seniorem fratrem laicum, per ve-  
ram paternalem lineam descendenter, & deinceps ad il-  
lius primogenitum laicum deuoluatur.

§. IV. Et talis successio in primogenitis & haeredibus  
Principum eorundem in iure & potestate praemissis, per-  
petuis temporibus obseruetur. Ea tamen conditione &  
modo, vt, si Principem Electorem, seu eius primogeni-

Ii 3 tum



tum aut filium seniorem laicum mori, & haeredes masculos, legitimos laicos, defectum aetatis patientes relinquerre contingeret, tunc frater senior eiusdem primogeniti, tutor eorum & administrator existat, donec senior ex eis legitimam aetatem attigerit. Quam in Principe Electore decem & octo annos completos censeri volumus & statuimus perpetuo haberi. Quam dum attigerit, ius, vocem & potestatem & omnia ab ipsis sibi totaliter cum officio teneatur protinus assignare.

§. V. Si vero aliquem ex huiusmodi Principatibus ipsorum, Imperio sacro vacare contingeret: tunc Imperator seu Rex Romanorum, qui pro tempore fuerit, de ipso prouidere debebit & poterit, tanquam de re ad se & Imperium legitime deuoluta. Saluis semper Priuilegiis, Iuribus & Consuetudinibus Regni nostri Bohemiae, super electione Regis in casu vacationis per Regnicolas, qui ius habent eligendi Regem Bohemiae, facienda, iuxta continentiam eorundem priuilegiorum & obseruatam consuetudinem diuturnam a diuis Romanorum Imperatoribus siue Regibus obtentorum. Quibus huiusmodi sanctione Imperiali in nullo praeiudicare, volumus. Imo ipsa decernimus nunc & perpetuis futuris temporibus in omni suo tenore, & forma, indubiam tenere roboris firmitudinem.

### CAPVT VIII.

#### DE REGIS BOHEMIAE ET REGNICO-LARVM EIVS IMMVNITATE.

##### §. I.

**C**um per diuos Romanorum Imperatores & Reges, praedecessores nostros, illustribus Bohemiae Regibus, progenitoribus, praedecessoribus nostris, nec non Regno Bohemiae, eiusdemque Regni Coronae olim concessum fuerit gratiosius & indultum, sitque in Regno eodem a tempore, cuius contrarii hodie non existit memoria, consuetudine



tudine laudabili inconuulse seruata, diuturnitate temporum & praescripta moribus vtentium sine contradictionis aut interruptionis obstaculo introductum; quod nullus Princeps, Baro, Nobilis, miles, cliens, Ciuis, Burgensis, seu rusticus, nulla denique persona eiusdem Regni & pertinentiarum eiusdem vbiunque consistentium, cuiuscunque status, dignitatis, praeeminentiae vel conditionis existat, ad cuiuscunque actoris instantiam, extra Regnum ipsum ad quocunque tribunal seu alterius, praeterquam Regis Bohemiae & Iudicium Regalis Curiae suae iudicium citari poterit siue trahi; nec vocari debeat, perpetuis in antea temporibus, siue possit. Ideoque priuilegium, consuetudinem & indulatum huiusmodi, auctoritate Imperiali & de Imperialis potestatis plenitudine, ex certa scientia, innouantes & etiam confirmantes; hac praesenti nostra Constitutione Imperiali perpetuis temporibus valitura, statuimus, vt, si contra priuilegium, consuetudinem & indulatum praefatum, quispiam praedictorum, puta Princeps, Baro, Nobilis, miles, cliens, ciuis, Burgensis seu Rusticus, aut alia quaecunque persona praemissa, ad cuiuscunque tribunal, extra Regnum praedictum Bohemiae in quacunque causa criminali, ciuili, mixta, seu super quocunque negotio citatus fuerit, quocunque tempore, vel citata comparere, vel in iudicio respondere minime teneatur. Quod si aduersus huiusmodi non comparentes, vel non comparentem, a quocunque iudice, cuiuscunque auctoritatis existat, extra Regnum Bohemiae constituto, iudicialiter procedi, processus fieri seu sententias interlocutorias vel definitivas, vnam vel plures, in quibuscunque prae-nominatis causis siue negotiis, quois modo ferri vel promulgari contingeret; auctoritate praemissa, de plenitudine insuper antedictae Imperatoriae potestatis, citationes, praecepta, processus, & sententias huiusmodi, nec non executiones, & omnia, quae ex eis, vel aliquo eorum, quomodo libet, sequi, attentari possint vel fieri, irritamus penitus & cassamus.

§. II.



§. II. Adiicientes expresse, & edicto Imperiali perpetuo valituro, eadem auctoritate & de praemissae potestatis plenitudine, decernentes, vt, quemadmodum in praedicto Regno Bohemiae, a tempore, cuius contrarii non habetur memoria, iugiter obseruatum existit: Ita nulli prorsus Principi, Baroni, Nobili, militi, clienti, Ciui, Burgensi seu Rustico, nulli demum personae seu incolae Regni Bohemiae saepe dicti, cuiuscunque status, praeeminentiae, dignitatis vel conditionis existant, vel existat, a quibuscunque processibus, sententiis interlocutoriis vel definitiuis, siue praeceptis Regis Bohemiae, aut quorumlibet suorum iudicium, nec non executionibus eorundem, contra se in regali judicio seu coram Regis, regni seu praedictorum iudicium tribunalibus factis aut latis, habitis vel ferendis in antea, seu fiendis, liceat ad quocunque aliud iudicium appellare. Prouocationes quoque seu appellations huiusmodi, si quas contra hoc interponi contigerit, eo ipso viribus non subsistant, & appellantes ipsi poemam perditionis causarum ipso facto, se nouerint incurrisse.

### CAPVT IX. DE AVRI, ARGENTI ET ALIARVM SPECIERVM MINERIS. (\*)

#### §. I.

Praesenti Constitutione in perpetuum valitura, statuimus ac de certa scientia declaramus, quod Successores nostri, Bohemiae Reges, nec non vniuersi & singuli Principes Electores, Ecclesiastici & Seculares, qui perpetuo fuerint, vniuersas auri & argenti fodinas atque mineras stanii, cupri, plumbi, ferri & alterius cuiuscunque generis metalli, ac etiam salis, tam inuentas, quam inueniendas imposterum quibuscunque temporibus, in regno praedicto, ac terris & pertinentiis eidem Regno subiectis, nec non supradicti Principes in Principatibus, terris, dominiis,

ac

(\*) Quaedam MSCta habent adhuc quaedam verba, nimirum aliorumq. generum mineris ac salinis: de Iudeorum incolatu de vestigalibus.



ac pertinentiis suis, tenere iuste possint, & legitime possidere, cum omnibus iuribus nullo prorsus excepto, pro ut possunt seu consueuerunt talia possideri §. 2. & 3. Nec non Iudeeos (\*) habere, telonia in praeterito statuta, & indica percipere. Quodque progenitores nostri, Reges Bohemiae felicis memoriae, ipsique Principes Electores ac progenitores, & praedecessores eorum, legitime potuerint usque in praesens, sicut hoc antiqua, laudabili, & approbata consuetudine diuturnique ac longissimi temporis cursu, praescripta, noscitur obseruatum. (\*\*)

## CAPVT X. DE MONETIS.

### §. I.

**S**tatuimus praeterea, vt Regi Bohemiae successori nostro, qui fuerit pro tempore, sicut constat ab antiquo, illustris memoriae Bohemiae Regibus (liceat), nostris praedecessoribus, licuisse, & in possessione pacifica continua ipsos fuisse iuris subsequentis, videlicet, monetas auri & argenti, in omni loco, & parte regni sui & subditorum ei terrarum, & pertinentiarum omnium, vbi Rex ipse decreuerit, sibique placuerit, cudi facere, & mandare sub omni modo & forma, atque in regno ipso Bohemiae, in his ad haec usque tempora obseruatis (\* \*). §. 2. Quodque futuris perpetuo Bohemiae Regibus, hac nostra Imperiali Constitutione & gratia perpetuo valituri, a quibuscumque Principibus, Magnatibus, Comitibus, & personis aliis, quascunque terras, castra, possessiones, praedia siue bona liceat emere, comparare, seu in donum vel in donationem, ex quacunque causa, aut in obligationem recipere. Sub talium terrarum, castrorum, possessionum, praediorum, seu bonorum conditione consueta. Ut videlicet propria recipiantur, vel comparentur, vt propria, libera, velut libera, (&) ea, quae dependent in feudum, similiter emanantur in feudum, seu comparata taliter teneantur. Ita tamen, quod

Kk ipsi

(\*) Policey. Ordnung A. 1377. tit. 20. R. I. 1530. tit. 22. §. 1.

(\*\*) Capit. Caroli V. & Caroli VI. art. 8.

(\*\*\*) R. I. 1551. §. 52. 1570. §. alsdenn 1582. §. 72.



ipſi Reges Bohemiae de iis, quae hoc modo comparaue-  
rint, vel receperint, & regno Bohemiae duxerint appli-  
canda, ad pristina ac consueta iura, de talibus sacro ex-  
plenda & reddenda Imperio, sint adſtriicti.

§. II. Praefentem nihilominus constitutionem virtute  
praefentis legis noſtræ Imperialis ad vniuersos Principes  
Electores, tam Ecclesiasticos, quam Seculares, successores,  
& legitimos haeredes ipſorum plene extendi volumus, sub  
omnibus modis & conditionibus, vt praefertur.

### CAPVIT XI. DE IMMVNITATE PRINCIPVM ELECTORVM.

#### §. I.

**S**tatuimus etiam, vt nulli Comites, Barones, Nobiles,  
Feudales Vasalli, Caſtrenſes, Milites, Clientes, Ciues,  
Burgenses, nullae quoque personæ Colonensi, Mogun-  
tinensi & Treuerensi Ecclesiis ſubieicti vel ſubieictæ cuius-  
cunque status, conditionis, vel dignitatis exiſtant, ad eu-  
iuscunque actoris instantiam extra territorium & termi-  
nos ac limites earundem Eccleſiarum & pertinentiarum  
ſuarum ad quodcunque aliud tribunal, ſeu cuiusuis alte-  
rius, praeterquam Archiepifcoporum, Moguntinensis, (\*)  
Treuerensis & Colonensis & iudicuſ ſuorum iudicium  
citari potuerint temporibus retroactis, vel trahi ſeu voca-  
ri debeat perpetuis in antea temporibus, ſive poſſint, ſi-  
cut praeteritis inuenimus temporibus obſeruatum.

§. II. Quod ſi contra praefens edictum noſtrum praefi-  
dictos Eccleſiarum Treuerensis, Moguntinensis, ſeu Co-  
lonenſis ſubditos, vel eorum aliquem ſeu aliquos, ad cu-  
iuscunque instantiam, ſeu ad cuiuscunque tribunal, pro  
quacunque cauſa criminali, ciuili, vel mixta, ſeu quocun-  
que negotio, (\*\*) extra territorium, limites, ſeu terminos di-  
ctarum Eccleſiarum, vel alicuius earum, citari coninge-  
ret, comparere vel respondere minime teneantur, & cita-  
tio,

(\*) R. I. 1654. §. 111.

(\*\*) Cap. Caroli VI. art. 15. 19. R. I. nou. §. 103.



tio, ac processus & sententiae interlocutoriae vel diffinitiuae contra non venientes a talibus iudicibus extraneis latae vel factae, findae vel serendae, nec non praecepta & praemissorum executiones, & omnia, quae ex eis vel aliquo eorum quomodolibet sequi, attentari, possent, vel fieri, irrita decernimus eo ipso.

§. III. Adicientes expresse, quod nulli Comiti, Baronii, Nobili, Feudali Vasallo, castrensi, militi, clienti, cuiui, rustico, nulli demum personae Ecclesias huiusmodi subiectae seu eius incolae, cuiuscunque status, dignitatis vel conditionis existant, a processibus, sententiis interlocutoriis, & diffinitiuis siue praeceptis Archiepiscoporum & Ecclesiastarum huiusmodi, vel suorum officiatorum temporalium aut executoribus eorundem, contra se Archiepiscopali, seu fiendis, ad quocunque tribunal aliud liceat appellare, quamdiu in Archiepiscoporum praedictorum & suorum iudicio querulantibus, non fuerit iustitia denegata. (\*) Appellationes contra hoc factas non recipi statuimus, calcasque & irritas nunciamus.

§. IV. In defectu vero iustitiae praedictis omnibus ad Imperiale duntaxat curiam, (\*\*) & tribunal seu iudicis immediate (\*\*\*) in Imperiali Curia pro tempore praefidentis audientiam, & etiam eo casu, non ad quemuis alium iudicem, siue etiam delegatum, his, quibus denegata fuerit iustitia, liceat appellare. Quidquid vero contra praemissa factum fuerit, sit irritum eo ipso.

§. V. Eandem constitutionem virtute praesentis legis nostrae Imperialis, ad Illustres, Comitem Palatinum Rheni, (\*\*\*\*) Ducem Saxoniae, Marchionem Brandenburgensem, Principes Electores seculares, siue laicos, haeredes, successores, subditos eorum plene extendi volumus, sub omnibus modis & conditionibus, ut praefertur.

Kk 2

§. VI.

(\*) vid. De LVDEWIG com. ad A. B. h. I. lit. b. T. II. p. 23.

(\*\*) conf. capitul. Carol. VI. art. 57.

(\*\*\*) vid. De LVDEWIG c. I. T. II. p. 29. lit. hh.

(\*\*\*\*) vid. De LVDEWIG ad h. I. T. II. p. 38. 39. seqq.



§. VI. Hanc autem legem, propter quaedam dubia, quae ex ea suborta fuerunt, de illis duntaxat, feudalibus vasallis & subditis debere declaramus intelligi, qui feuda, bona, & possessiones a principibus electoribus ecclesiasticis & secularibus dependentes, quae de temporali ipsorum iurisdictione consistunt, obtinere noscuntur, & actualiter & realiter resident in eisdem. Si vero tales electorum principum vasalli & homines ab aliis etiam Archiepiscopis, Episcopis siue principibus similia feuda possident, & larem fouent in illis, ex tunc, si iidem archiepiscopi, episcopi vel principes ab imperio bannum habent & priuilegium, duella coram se agi permittere, apud illos agat de talibus. Alioquin ad imperialis curiae iudicis examen super his decernimus recurrentum. (\*)

## CAPVT XII. DE CONGREGATIONE PRINCIPVM. (\*\*)

### §. I.

**I**nter illas multiplices Reipublicae curas, quibus assidue mens nostra distrahitur, multa consideratione necessarium fore perspexit nostra sublimitas, vt sacri Imperii Principes Electores, ad tractandum de ipsius Imperii, Orbisque salute, frequentius solito congregentur: (\*\*) qui solidae bases Imperii & columnae immobiles, quemadmodum per longinquas ad inuicem terrarum consistunt distantias, ita de incumbentibus regionum sibi cognitarum defectibus referre simul, & conferre nouerunt, sanisque prou-

(\*) In codice, qui Viennae reperitur, reperitur adhuc §. 6. sed ab auctore A. B. non est confectus, nec exemplari Francofurtano inseritus est, hinc LIMNAEVs &c. eum supposititum credunt.

(\*\*) Quidam codices habent hoc loco prooemium quoddam.

(\*\*\*) Huc spectant capitulationes *Caroli V.* art. V. *Leopoldi* art. VI. *Iosephi* art. VI. *Caroli VI.* art. III. & *Caroli VII.* art. III. vid. de *LVDEWIG* c. I. p. 62. seqq. T. II.



prouidentiae suae consiliis non ignorant, ac commodis tam  
Reformationibus salubriter opem dare.

§. II. Hinc est, quod in solenni Curia nostra Nurembergensi cum venerabilibus Ecclesiasticis, & Illustribus Secularibus Principibus, Electoribus, & multis aliis Principibus, & Proceribus, per nostram Celsitudinem celebrata, habita cum iisdem Principibus Electoribus deliberatione, & de ipsorum consilio, pro bono & salute communii, cum dictis Principibus Electoribus, tam Ecclesiasticis, quam Secularibus, duximus ordinandum, quod iidem Principes Electores de caetero per singulos annos (\*) semel, transactis a festo Paschatos resurrectionis Dominicae quatuor septimanis continuo numerandis, in aliqua Civitatum sacri Romani Imperii personaliter congregentur, & ad idem tempus proxime affuturum, seu anno praesenti, colloquium seu Curia & congregatio huiusmodi in Civitate nostra Imperiali Metensi, per nos (\*\*) & eosdem Principes celebretur. Ac tunc & deinceps, die quolibet congregationis, huiusmodi locus per Nos, quo sequenti anno conueniant, ipsorum consilio (\*\*\*) statuatur. Hac nostra ordinatione ad nostrum & ipsorum duntaxat beneplacitum duratura. Qua durante, ipsos sub nostro Imperiali conductu recipimus ad dictam Curiam accedendo, stando & etiam recedendo.

§. III. Praeterea ne tractatus communis salutis & pacis, per tractum & moram solatii, seu excessiuam frequentationem conuiuii retardetur, vt aliquando fieri est consuetum; concordi voluntate duximus ordinandum, vt deinceps Curia seu Congregatione praefata durante, generales (\*\*\*\*) omnium Principum celebrare alicui non liceat

Kk 3

inui-

(\*) vid. *Handhab. des Friedens A. 1495. zu Worms* art. I. v. *Es soll*

(\*\*) vid. capit. *Caroli V. & Caroli VI.* art. III.

(\*\*\*) vid. capit. *Caroli V. art. 12. & Caroli VI. art. 13.*

(\*\*\*\*) In MSCto Vindobon. legitur frequentationes conuiuiorum.  
conf. de LUDEWIG c. I. T. II. p. 85. lit. r.



inuitatas: (\*) particulares vero, quae agendorum expeditionem non impendant, cum moderamine sint permissae.

## CAPVT XIII.

## DE REVOCATIONE PRIVILEGIORVM.

## §. L

**P**aeterea statuimus, & hoc Imperiali perpetuo sancimus Edicto: quod vniuersa Priuilegia & Litterae, (\*\*) quibuscumque personis, cuiuscunque status, praeeminentiae vel dignitatis existant, seu ciuitatum, oppidorum & quorumlibet locorum vniuersitatibus, super quibuscumque iuribus, gratiis, immunitatibus aliis, (\*\*\*) etiam proprio motu, seu alias a nobis vel recolenda memoriae diuis Romanorum Imperatoribus siue Regibus, praedecessoribus nostris, sub quibuscumque verborum tenoribus, concessa & concessae, seu a Nobis vel successoribus nostris, Romanis Imperatoribus & Regibus in antea futuris temporibus concedenda vel concedenda: non debeant aut possint libertatibus, iurisdictionibus, iuribus & honoribus seu dominiis (\*\*\*\*) Principum Electorum sacri Imperii, Ecclesiasticorum & Secularium, aut alicuius ipsorum, in aliquo penitus derogare. §. 2. Etiam in talibus Priuilegiis, & Litteris quarumlibet personarum cuiuscunque praeeminentiae, dignitatis aut status extiterint, vt praefertur, seu vniuersitatum huiusmodi, expresse cautum sit vel fuerit in futurum, quod reuocabilia seu reuocabiles esse non debeant, nisi de ipsis & toto in eis comprehenso tenore in tali reuocatione fieret de verbo ad verbum seriatim mentio specialis. §. 3. Huiusmodi namque Priuilegia & Litteras, si & in quantum libertatibus, iurisdictionibus, iuribus, honoribus,

(\*) Alii legunt in uitationes, sed Francofurt. Codex habet in uitatas sc. frequentationes.

(\*\*) conf. de LVDEWIG c. I. ad A. B. T. II. p. 87. lit. b.

(\*\*\*) vid. Capit. Caroli VI. art. I.

(\*\*\*\*) vid. de LVDEWIG c. I. p. 95. T. II.



bus, seu dominiis dictorum Principum Electorum, aut aliqui  
cuius ipsorum, derogare vel obuiare censemur in aliquo,  
quo ad hoc reuocamus ex certa scientia cassamus, reuo-  
cataque & reuocatas intelligi, reputari & haberi decerni-  
mus, de plenitudine Imperatoriae potestatis.

## CAPVT XIV.

DE HIS, QVIBVS, VT INDIGNIS,  
AVFERVNT VR BONA FEVDALIA.

## §. I.

In plerisque partibus Vasalli & Feudatarii, Dominorum  
feuda seu beneficia, quae a Dominis ipsis obtinent; in-  
tempestive, (\*) verbaliter & in fraudem renunciant, seu  
resignant eadem. (\*\*) Et, facta renunciatione huiusmodi,  
Dominos ipsis malitiose dissident, suasque inimicitias eis  
denunciant, damna ipsis subsequenter grauia inferendo, &  
beneficia seu feuda sic relicta, praetextu guerrae seu ini-  
micitiae, iterum inuadunt, & occupant ac detinent oc-  
cupata. §. 2. Eapropter praesenti Constitutione, in per-  
petuum valitura, sancimus, quod talis resignatio, seu re-  
nunciatio haberri debeat pro non facta. Nisi libere & rea-  
liter facta fuerint per eosdem, ita, vt possessio beneficio-  
rum & Feudorum huiusmodi Dominis ipsis corporaliter  
& realiter assignetur, in tantum, quod nullo vnuquam tem-  
pore dissidentes ipsi in bonis, feudis, seu beneficiis resigna-  
tis, Dominos ipsis perturbent per se, aut alios, aut mole-  
stant, nec ad hoc consilium praestent, auxilium vel fau-  
orem. §. 3. Contrarium faciens, seu Dominos suos in be-  
neficiis & feudis resignatis vel non resignatis, inuadens,  
quomodolibet vel perturbans, vel damna in ipsis inferens,  
seu consilium, auxilium praestans talia facientibus vel fa-  
uorem; feuda & beneficia huiusmodi (\*\*) eo ipso amit-  
tat,

(\*) II. F. 9. pr. II. F. 14. Ius feud. Alem. c. 150. & Ius Sax. tit. 17.

(\*\*) II. F. 38.

(\*\*\*) Haec vox huiusmodi ab aliis omittitur.



tat, infamis existat, & banno Imperiali subiaceat, & nullus ad feuda vel beneficia huiusmodi pateat ei de cetero quocunque tempore aditus vel regressus, nec de nouo concedi sibi valeant ullo modo. Et facta eis contra hoc illorum concessio seu inuestitura secuta, viribus non subsistat §. 4. Postremo omnes poenas praedictas illos vel illum, qui praedicta resignatione facta, contra Dominos suos fraudulenter agentes vel agens, scienter eos inuaserint, vel inuaserit, diffidatione quacunque praeuia, vel omissa, vigore praesentis Sanctionis incurrere decernimus ipso facto.

## CAPVT XV. DE CONSPIRATIONIBVS.

### S. I.

**D**etestandas praeterea, & sacris legibus reprobatas (\*) conspirationes & conuenticula seu colligationes illicitas, in ciuitatibus & extra, & inter Ciuitatem & Ciuitatem, inter personam & personam siue inter personam & ciuitatem, praetextu parentelae seu receptionis in Ciues, vel alterius cuiuscunque coloris coniurationis: insuper & confoederations & pacta, nec non & consuetudinem, circa huiusmodi introductam, quam censemus potius corruptelam, reprobamus, damnamus & ex certa scientia irritamus. Quas siue Ciuitates siue Personae cuiuscunque dignitatis seu conditionis aut status, siue inter se, siue cum aliis, absque auctoritate Dominorum, quorum subditi (\*\*) vel ministeriales sunt, seu in quorum districtu consistunt, eisdem Dominis non nominatim exceptis, fecerunt haetenus, & facere prae sumserint in futuro. Sicuti per sacras diuorum Augistorum praedecessorum nostrorum leges prohibitas non ambigitur & cassatas. §. 2. Illis confoederationibus & ligis duntaxat exceptis, quas Principes & Ciuitates, ac alii, super generali Pace Prouinciarum atque

Terra-

(\*) vid. De LVDEWIG c. I. T. II. p. 117. lit. c.

(\*\*) vid. art. 8. Pac. Westph. & Capit. Carol. VI. art. VI.



Terrarum inter se firmasse noscuntur. Illas enim nostrae declarationi specialiter reseruantes in suo decernimus vi-  
gore manere, donec de his aliud duxerimus ordinandum. (\*)

§. II. Personam singularem, quae de cetero contra te-  
norem praesentis Constitutionis & legis antiquae, super  
hoc editae, confoederationes, colligationes, conspiratio-  
nes & pacta huiusmodi inire praesumpserit, ultra poe-  
nam legis eiusdem, notam infamiae & poenam decem li-  
brarum auri (\*\*) §. 4. Ciuitatem vero, vel Vniuersitatem  
in hanc legem nostram similiter committentem, centum  
librarum auri, nec non amissionis & priuationis liberta-  
tum & priuilegiorum Imperialium poenas incurrere de-  
cernimus eo ipso, medietatem poenae huiusmodi pecunia-  
riae fisco Imperiali, (\*\*\*) reliquam vero Domino districtus,  
in cuius praeiudicium factae fuerint, applicandae.

## CAPVT XVI. DE PFALBVRGERIS.

### §. 1.

Ceterum, quia nonnulli Ciues & subditi Principum, Ba-  
ronum & aliorum hominum, sicuti frequens ad nos  
querela perduxit, iugum originariae subiectionis quaeren-  
tes abiicere, imo ausu temerario contemnentes, in aliarum  
Ciuitatum ciues recipi se procurant, & frequentius in praet-  
erito procurarunt; Et nihilominus in priorum Domino-  
rum, quos tali fraude praesumserunt vel praesumunt de-  
serere, Terris, Ciuitatibus, Oppidis & Villis, corporaliter  
residentes, Ciuitatum, ad quas hoc modo se transferunt,  
libertatibus gaudere, & ab eis defensari contendunt, qui  
in partibus Alamaniae Pfalburgerii consueuerunt vulgari-  
ter appellari. §. 2. Quoniam autem patrocinari non de-  
beant alicui fraus & dolus, de Imperatoriae potestatis ple-  
nitudine omnium Principum electorum, Ecclesiasticorum  
& Secularium, sano accedente consilio, ex certa conscien-  
tia

L1

(\*) Capit. Caroli VI. art. 6. Pax Westph. art. 8.

(\*\*) vid. II. F. 53. §. 2.

(\*\*\*) Capit. Caroli VI. art. 21.



tia statuimus, & praesenti lege perpetuo valitura sancimus: quod praedicti Ciues & Subditi, eis, quibus subsunt, taliter illudentes, in omnibus terris, locis & prouinciis sacri Imperii, a praesenti die imposterum, Ciuitatum, in quarum ciues tali fraude recipi se procurant, vel hactenus procurarunt, iuribus & libertatibus in nullo potiantur; Nisi ad huiusmodi Ciuitates corporaliter & realiter transeuntes, ibique larem fouentes, continue & vere ac non sicut residentiam facientes, debita onera & municipalia subeant munera in eisdem. §. 3. Si qui vero contra praesentis nostrae legis tenorem recepti sunt, vel fuerint in futurum, illorum receptio omni careat firmitate, & recepti, cuiuscunque conditionis, dignitatis aut status existant, in nullo casu penitus siue causa, Ciuitatum, ad quas recipi se procurant, iuribus vel libertatibus gaudeant quomodolibet vel fruantur. Non obstantibus quibuscumque iuribus, priuilegiis vel consuetudinibus obseruatis, quandocunque tempore & obtentis. Quas & quae in quantum praesenti nostre legi obuiant, praesentibus ex certa scientia reuocamus (&) de praedictae Imperialis plenitudine potestatis, omnique carere decernimus robore firmitatis. (\*)

§. IV. Circa praemissa omnia Principum, Dominorum & aliorum hominum, quos taliter deserit contigit, vel contingit imposterum, iuribus circa personas & bona subditorum quorumcunque, ipsos saepe dicto modo deferentium, semper saluis. (\*\*) §. 5. Hos nihilominus, qui saepe dictos Ciues, & subditos alienos recipere, contra praesentis nostre legis dispositionem praesumserint, vel recipere in praeterito praesumserunt, si eos omnino non dimiserint infra mensem, post intimationem praesentium eis factam, centum marcas auri puri, pro transgressione huiusmodi, totiens, quotiens deinceps factum fuerit, incurere decerentes, quarum medietas Imperiali fisco nostro, reliqua vero dominis illorum, qui recepti fuerint, (\*\*) irremissibiliter applicetur.

CAPUT

(\*) R. I. zu Trier und Colla A. 1512. §. 17.

(\*\*) Capit. Caroli VI. art. 22.

(\* \*) ib. art. 15.



**CAPVT XVII.**  
**DE DIFFIDATIONIBVS.**

§. I.

**E**os, qui de cetero aduersus aliquos iustum diffidationis causam se habere fingentes, (\*) ipsos in locis, vbi domicilia non obtinent, aut ea communiter non inhabitant, intempestive diffidant, declaramus, damna quaecunque per incendia, spolia vel rapinas, diffidatis ipsis, cum honore suo inferre non posse.

§. II. Et quia patrocinari non debent alicui fraus & dolus, praesenti Constitutione in perpetuum valitura, sancimus: diffidatantes huiusmodi, quibuscumque Dominis aut personis, cum quibus aliqui fuerint in societate, familiaritate, vel honesta quavis amicitia conuersati, sic factas vel fiendas imposterum non valere, nec licere, praetextu diffidationis cuiuslibet, quempiam inuadi per incendia, spolia vel rapinas: nisi diffidatio per tres dies naturales ipsis diffidato personaliter, vel in loco, quo habitare consuevit, publice fuerit intimata, possitque de intimatione huiusmodi per testes idoneos fieri plena fides. Quisquis secus quempiam diffidare vel inuadere modo praemissio prae sumserit, infamiam eo ipso incurrat, ac si nulla diffidatio facta esset. Quem etiam, tanquam proditorem, per quos cunque Iudices poenis legalibus statuimus castigari. (\*\*)

§. III. Prohibemus etiam & damnamus vniuersas & singulas guerras & lites iniustas, cuncta quoque iniusta incendia, spolia & rapinas, (\*\*\*\*) indebita & inconsueta thelo nea, & conductus, & exactiones pro ipsis conductibus extor queri consuetas, sub poenis, quibus sacrae leges praemissa & eorum quodlibet sanciunt punienda. (\*\*\*\*)

L12

CAPVT

(\*) Constit. C. C. art. 125.

(\*\*) R. I. zu Regenspurg 1594. §. 40.

(\*\*\*) Der Königl. Landfriede zu Worms de A. 1495. art. 2.

(\*\*\*\*) R. I. zu Augsp. de A. 1555. §. 46. it. C. C. C. art. 129.



*CAPVT XVIII.*  
**LITERA INTIMATIONIS AD  
 ELIGENDVM.**

§. I.

**V**obis illustri & Magnifico Principi, Domino Marchioni Brandenburgensi, Sacri Romani Imperii Archicamerario, Coelectori & amico nostro carissimo. Electionem Romani Regis, quae ex rationabilibus causis imminet, faciendam, praesentibus intimamus, vosque, ex officii nostri debito ad Electionem praefatam rite vocamus, quatenus a die tali &c. intra tres menses continuo computandos, per Vos seu per Nuntios aut Procuratores vestros, vnum vel plures, sufficiens mandatum habentes, ad locum debitum, iuxta formam sacrarum legum super hoc editarum, venire curetis, deliberaturi, tractaturi & concordaturi cum aliis Conprincipibus & Coelectoribus vestris & nostris de Electione futuri Regis Romanorum, in imperatorem postmodum fauente Domino promouendi, in eodem mansuri vsque ad plenam consummationem electionis huiusmodi, & alias facturi & processuri, prout in sacris legibus super hoc deliberate editis, inuenitur expressum. Alias non obstante vestra seu Vestrorum absentia, in praemissis vna cum aliis Conprincipibus & Electoribus nostris, prout legum ipsarum faneuit auctoritas, finaliter procedemus.

*CAPVT XIX.*  
**FORMA PROCVRATORII MITTENDI  
 PER EVM PRINCIPEM ELECTOREM, QVI  
 NVNCIOS SVOS AD ELECTIONEM  
 FACIENDAM DVXERIT DESTINANDOS.**

§. I.

**N**os &c. talis Dei gratia, &c. Sacri Imperii, &c. Notum facimus tenore praesentium vniuersis, quod cum elec-

tio



Qio Romanorum Regis ex rationalibus causis imminet facienda, nos de honore & statu sacri Imperii sollicitudine debita intendere cupientes, ne tam grauibus dispendiis periculoſe subiaceat, de fide & circumſpectionis industria dilectorum nobis, N. & N. fidelium nostrorum obtinentes vtique praefumptionis indubiae fiduciam singularem, ipsos & quemlibet eorum in ſolidum, ita, quod non fit melior conditio occupantis, ſed quod per vnum incepturn fuerit, per alium finiri & licite terminari, omni iure, modo & forma, quibus melius & efficacius poſſumus ſeu valemus, noſtros veros & legitimos Procuratores & Nuncios ſpeciales facimus, conſtituimus & ordinamus ad traſtantum vbiſlibet vna cum aliis Conprincipibus & Coelectoribus noſtris, tam Ecclesiasticis, quam Secularibus, & cum iſpſis concordandum, & concludendum de persona quaconque habili ac idonea in Regem Romanorum eligenda, ac iſpſis traſtatibus, ſuper Electione talis personae habendis, pro nobis loco & nomine noſtri, intereſſendum, traſtantum & deliberandum, nec non vice & nomine noſtri eandem personam nominandum & in iſam conſentendum, ac in Regem Romanorum promouendum, ad ſacrum Imperium eligendum, ac in animam noſtram praefendantum quodcunque iuramentum quod neceſſarium, debitum ſeu conſuetum fuerit, circa praemissa & quodlibet praemifſorum, aliū vel alios procuratores in ſolidum ſubſtituendum, reuocandum, & omnia & ſingula faciendum, quae in praemiffis, & circa praemissa, etiam uſque ad conſummationem traſtatuum, nominationis, deliberationis & electionis huiusmodi de praefenti facienda, neceſſaria aut utilia fuerint, ſeu etiam quomodolibet oportuna: etiamſi praemissa, vel eorum quodlibet mandatum exigant ſpeciale, etiamſi maiora, vel magis ſingularia fuerint ſupradictis, & quae noſmetiſi facere poſſemus, ſi huiusmodi traſtatui deliberationis, nominationis & electionis futurae negotiis praefentis & personaliter aderemus. Gratum & ratum habentes & habere volentes & nos perpetuo habituros fir-

L1 3

miter



miter promittentes, quicquid per antedictos Procuratores seu Nuncios nostros, nec non substitutos aut substituendos ab ipsis, seu eorum altero, in praemissis seu praemissorum quomodolibet actum, gestum seu factum fuerit, aut quomodolibet ordinatum.

### CAPVT XX.

## DEVNIONE PRINCIPATVVM ELECTORVM, ET IVRIVM EIS CONNEXORVM.

### S. I.

**I**n nomine sanctae & individuae Trinitatis, feliciter. A. men. Carolus quartus, diuina favente clementia, Romanorum Imperator semper Augustus & Bohemiae Rex, ad perpetuam rei memoriam. Cum vniuersi & singuli Principatus, quorum virtute seculares Principes Electores ius & vocem in Electione Romanorum Regis in Caesarem promouendi, obtinere noseuntur, cum iure huiusmodi nec non officiis, dignitatibus & iuribus aliis, eis & cuiilibet eorum annexis & dependentibus ab eisdem adeo coniuncti & inseparabiliter sint vnti, quod ius, vox, officium & dignitas, alia quoque iura, ad quemlibet Principatum eorundem spectantia, cadere non possint in alium, praeter illum, qui Principatum ipsum cum terra, vasallagiosis, feudis & dominio ac eius pertinentiis vniuersis, dignoscitur possidere. Praesenti Edicto Imperiali, perpetuo valituro, sancimus: vnumquemque Principatum praedictorum, cum iure & voce Electionis, ac officio, ceterisque omnibus dignitatibus, iuribus & pertinentiis ad ipsum spectantibus, ita perseverare & esse debere vnitum perpetuis temporibus individuabiliter & coniunctum, quod Possessor Principatus cuiuslibet, etiam iuris, vocis, officii, & dignitatis & pertinentiarum omnium ad illum spectantium, quieta debeat & libera possessione gaudere, ac Princeps Elector ab omnibus reputari, (ipseque & nemo alias) per ceteros Principes Electores ad Electionem & omnes actus



actus alios, pro sacri Imperii honore vel opportunitate gerendos, omni tempore assumi sine contradictione quilibet & admitti. §. 2. Nec aliquid praemissorum ab altero, cum sint & esse debeant inseparabilia, diuidi, vel ullo tempore debeat separari, aut in iudicio, vel extra, diuisim repeti valeat, aut euinci, vel etiam, per sententiam separari, nec aliquis unum sine alio impetens audiatur. §. 3. Quod si per errorem vel alias auditus quis fuerit, aut processus, iudicium, sententia, vel aliquid huiusmodi, contra praesentem dispositionem nostram emanauerit, seu quomodo libet attentari contigerit, hoc totum, & omnia ex his, & quolibet eorum sequentia, eo ipso viribus non subsistant.

## CAPVT XXI.

DE ORDINE PROCESSIONIS INTER  
ARCHIEPISCOPOS.

## §. I.

**Q**uoniam autem superius in principio constitutionum nostrarum praesentium, circa ordinem sessionis Ecclesiasticorum Principum Electorum in consilio & in mensa, & alias, quotiens Imperialem Curiam celebrari, seu Principes Electores deinceps cum Imperatore vel Rege Romanorum congregari contigerit, sufficienter duximus prouidendum, super qua priscis audiuimus temporibus plures disceptatum. Expedire credimus etiam processionis & deambulationis inter eos ordinem diffinire.

§. II. Quapropter hoc perpetuo Imperiali Edicto decernimus, ut quotiescumque in congregatione Imperatoris vel Regis Romanorum, & Principum praedictorum, Imperatore vel Rege ipso deambulante, insignia ante faciem suam portari contigerit, Archiepiscopus Treuiren-sis in directa diametrali linea ante Imperatorem vel Regem transeat, illique soli medii inter eos ambulent, quos Imperialia vel Regalia continget Insignia deportare.

§. III. Dum



§. III. Dum autem Imperator vel Rex absque insigniis eisdem incesserit; Ex tunc idem Archiepiscopus Imperatorem vel Regem praefato modo praecedat, ita quod nemo penitus inter eos medius habeatur, aliis duobus Archiepiscopis Electoribus loca sua iuxta distinctionem Provinciarum suarum, circa sessionem (\*) superius declaratam, etiam circa processionem perpetuo seruaturis.

### CAPVT XXII.

## DE ORDINE PROCESSIONIS PRINCIPVM ELECTORVM, ET PER QVOS INSIGNIA DEPORTENTVR.

### §. I.

**A**d declarandum autem in Imperatoris vel Regis Romanorum deambulantis praesentia, processionis ordinem Principum Electorum, de quo supra fecimus mentionem, statuimus, vt, quotiescumque in celebratione Imperialis Curiae, Principes Electores cum Imperatore vel Rege Romanorum in quibuscumque actibus vel solennitatibus, professionaliter ambulare contigerit, & Imperialia vel Regalia debuerint insignia deportari, Dux Saxoniae, Imperiale vel Regale ensēm deferens, Imperatorem seu Regem immediate praecedat, & inter illum & Archiepiscopum Treuerensem medius habeatur. §. 2. Comes vero Palatinus pomum Imperiale portans, a latere dextro. §. 3. Marchio Brandenburgensis sceptrum deferens, a sinistro latere ipsius Ducis Saxoniae linealiter gradiantur. §. 4. Rex autem Bohemiae Imperatorem seu Regem ipsum immediate, nullo interueniente, sequatur.

### CAPVT XXIII.

## DE BENEDICTIONIBVS ARCHIEPISCOPORVM IN PRAESENTIA IMPERATORIS.

### §. I.

**Q**uoties insuper in Imperatoris vel Regis Romanorum praesentia, Missarum solemnia celebrari, ac Moguntinen-

(\*) Cap. 3.



tinensem, Treuerensem & Colonensem, Archiepiscopos, vel duos ex iis adesse contigerit, in confessione, quae ante Missam dici consuevit; ac in porrectione Euangeli osculandi; & Pace (post) Agnus Dei portanda; nec non in benedictionibus, post finita Missarum solennia; ac etiam ante mensam faciendis; & in gratiis post cibum acceptum agendis, is inter eos ordo seruetur, prout de ipsorum consilio duximus ordinandum; quod prima die haec omnia & singula a primo, secunda die a secundo, tertia vero a tertio peragantur.

§. II. Primum autem vel secundum, seu tertium, hoc casu, secundum quod prius vel posterius quilibet eorum consecratus existit, debere intelligi declaramus. §. 3. Et ut se inuicem honore condigno & decenti praeueniant & exemplum aliis praebent inuicem honorandi: Is, quem circa praemissa ordo tetigerit, ad haec alterum conuenienti & charitatiua inclinatione inuitet. Et tunc demum ad praemissa procedat seu quodlibet praemissorum.

## CAPVT XXIV.

(\*)

**I**ntra scriptae leges promulgatae sunt in Curia Metensi per Dominum Carolum IV. Imperatorem Röm. & Bohemiae Regem Augustum, An. Domini MCCCLVI. assistentibus sibi omnibus Sac. Rom. Imperii Electoribus, Principibus & praesentibus Dominis, Venerabili in Christo Patre, Domino Theodorico Episcopo Albanensi, sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali, ac Carolo Regis Franciae primogenito, Normandiae Duce illustri ac Delfino Viennensi, (in die Nativitatis Christi.) Si quis(\*) cum Principibus, Militibus vel priuatis, seu quibusunque personis, plebeiis etiam, scelestam factionem aut factionis ipsius inierit sacramentum, vel dederit, de nece Venerabilium & illustrium nostrorum & sacri Romani Imperii, tam Ecclesia-

M m stico-

(\*) Quidam hoc caput inscribunt: de crimine laesae maiestatis principum electorum.

(\*\*) vid. L. 5. C. ad L. iul. maiest.



sticorum quam Secularium Principum Electorum, seu alterius eorundem: (Nam & ipsi pars corporis nostri sunt: Eadem enim severitate voluntatem sceleris, qua effectum puniri iura voluerunt:) Ipse quidem, utpote Maiestatis reus, gladio feriatur, bonis eius omnibus fisco nostro addictis. (\*)

§. I. Filii vero eius, quibus vitam Imperiali specialiter lenitate concedimus, (paterno enim deberent perire supplicio, in quibus paterni, hoc est haereditarii criminis, metuuntur (\*\*)) exempla,) a materna vel auta omnium etiam proximorum haereditate & successione, habeantur alieni: (Ex) Testamentis aliorum nihil capiant, sint perpetuo egentes & pauperes: Infamia eos paterna semper comitetur: Ad nullum unquam honorem, ad nulla prorsus sacramenta, perueniant: Sint postremo tales, ut his perpetua egestate fordanibus & mors sit solatium & vita supplicium.

§. II. Denique iubemus, eos esse notabiles sine venia, qui pro talibus unquam apud nos interuenire tentauerint.

§. III. Ad filias sane eorum, quolibet numero fuerint, Falcidiam tantum ex bonis matris, siue testata siue intestata defecerit, volumus peruenire, ut habeant mediocrem potius filiae alimoniam, quam integrum emolumendum, aut nomen heredis consequantur. Mitior enim circa eas debet esse sententia, quas pro infirmitate sexus minus auras esse, confidimus.

§. IV. Emancipationes quoque, quae a praedictis, siue in filios, post legem duntaxat latam, siue in filias fuerint collata, non valeant. Dotes, donationes quorumlibet, postremo item alienationes, quas ex eo tempore, qualibet fraude vel iure factas esse constiterit, quo primo memorati de ineunda factione ac societate cogitauerint, nullius statuimus esse momenti.

§. V. Vxores sane praedictorum, recuperata dote, si in ea conditione fuerint, ut, quae a viris titulo donationis acceper-

(\*) R. I. 1465. art. 3. C. C. C. art. 124. 218. 221. Capit. Caroli VI. art. 21.  
 (\*\*\*) Alii metuuntur.



aceperunt, seu accipiunt, filiis debeant reseruare, tempore, quo ususfructus absumitur, omnia ea fisco nostro se relicturas esse cognoscant, quae iuxta legem filiis debebantur: Falcidia etiam ex his rebus filiabus tantum, non etiam filiis, deputetur.

§. VI. Idem, quod de praedictis eorumque filiis cauimus, etiam de satellitibus, consciis ac ministris filiisque eorum simili severitate censemus.

§. VII. Sane, si quis ex his in exordio initiae factionis, studio verae laudis accensus, ipse prodiderit factionem, & praemio a nobis & honore donabitur. Is vero, qui usus fuerit factione, si vel sero, tamen incognita adhuc consiliorum arcana patefecerit, absolutione tamen ac veniam dignus habebitur.

§. VIII. Statuimus (\*) insuper, ut si quid contra praedictos Principes Electores, Ecclesiasticos vel Seculares commissum dicatur, etiam post mortem rei, id crimen instaurari posse.

§. IX. In hoc item criminis, quod ad laesam in Principibus Electoribus suis Maiestatem pertinet, etiam in caput Domini serui torqueantur.

§. X. Volumus insuper ac praesenti Imperiali sancimus Edicto, ut etiam post mortem nocentium hoc crimen inchoari possit, aut conuictu mortuo memoria eius damnetur, & bona successoribus eius eripiantur. Nam ex quo sceleratissimum quis ceperit consilium, exinde quodammodo sua mente punitus est.

§. XI. Porro, ex quo quis tale crimen contraxit, neque alienare neque manumittere eum posse, nec ei solvere iure debitorem decernimus.

§. XII. In hac causa in caput Domini seruos torqueri statuimus: id est, propter causam factionis damnandae contra Principes Electores Ecclesiasticos & Seculares, ut praemittitur.

§. XIII. Et si decesserit quis, propter incertam personam

(\*) L. 6. C. ad L. iul. maiest.



nam successoris, bona seruentur, (nisi) si in causa huiusmodi fuisse mortuus arguatur.

### CAPVT XXV.

## DE INTEGRITATE PRINCIPATVVM ELECTORVM SERVANDA.

### §. I.

**S**i ceteros Principatus congruit in sua integritate seruari; ut corroboretur iustitia & subiecti fideles pace gaudent & quiete: multo magis magnifici Principatus, Domina, Honores & Iura Electorum Principum debent illaesa seruari. Nam vbi maius incumbit periculum, maius debet remedium adhiberi, ne, columnis ruentibus, basi totius aedificii collidatur.

§. II. Decernimus igitur, & hoc perpetuis temporibus valituro sancimus Edicto: quod ex nunc in antea perpetuis temporibus, insignes & magnifici Principatus; vide licet Regnum Bohemiae; Comitatus Palatinus Rheni; Ducatus Saxoniae; & Marchionatus Brandenburgensis, terrae, districtus, homagia, vasallagia & alia quaevis ad ipsa spectantia, scindi, diuidi seu quavis conditione dimembrari non debeant, sed in sua perfecta integritate perpetuo maneant. §. 3. Primogenitus filius succedat in eis, si bique soli ius ac dominium competit, nisi forte mente captus, fatuus seu alterius famosi & notabilis defectus extiteret, propter quem non deberet seu posset hominibus principari. §. 4. In quo casu inhibit a sibi successione secundo genitum, si fuerit in ea progenie, seu alium seniorem fratrem, vel consanguineum laicum, qui paterno stipiti in descendenti recta linea proximior fuerit, volumus successurum. §. 5. Qui tamen apud alios fratres & sorores se clementem & pium exhibebit continuo, iuxta datum sibi a Deo gratiam & iuxta suum beneplacitum, ex ipsius patrimonii facultate, diuisione, scissione seu dismembratione Principatus & pertinentiarum eius sibi modis omnibus interdicta.

CAPVT



## CAPVT XXVI.

## DE CVRIA IMPERIALI ET SESSIONE.

## §. I.

**D**ie, qua solennis Curia imperialis vel Regia fuerit celebra, veniant circa horam primam Principes Electores Ecclesiastici & Seculares ad domum habitationis Imperialis, siue Regalis, & ibi Imperator vel Rex ipse, omnibus insigniis Imperialibus induetur, & ascensis equis, omnes vadant cum Imperatore, vel Rege ad locum Sessionis aptatae, & ibit quilibet eorum in ordine, & modo, supra (\*) in lege de ordine & modo processionis ipsorum Principum Electorum plenius diffinito.

§. II. Portabit etiam Archicancellarius, in cuius Archicancellariatu haec fuerint, super Baculo argenteo, omnia Sigilla & Tyaria Imperialia siue Regalia.

§. III. Seculares vero Principes Electores sceptrum, pomum & ensim, secundum quod superius exprimitur, deportabunt.

§. IV. Portabuntur etiam immediate ante Archiepiscopum Treuirensim suo loco transeuntem, primo Aquisgranensis, secundo Mediolanensis corona: & hoc ante Imperatorem duntaxat, qui iam Imperialibus est insulis decoratus, quas gestabunt aliqui Principes inferiores, ad hoc per Imperatorem iuxta placitum deputandi.

§. V. Imperatrix etiam vel Regina Romanorum suis augustalibus amicta (insigniis) post Regem vel Imperatorem (Romanorum) & etiam post Regem Bohemiae, qui Imperatorem immediate subsequitur, competentis spatii interuallo, suis associata Proceribus suisque comitata Virginibus, ad locum sessionis procedat.

M m 3

CA-

(\*) c. 3. 4. 21. 22. A. B.



## CAPVT XXVII.

DE (ARCHI)-OFFICIIS PRINCIPVM  
ELECTORVM IN SOLENNIBVS CVRIIS  
IMPERATORVM VEL REGVM  
ROMANORVM.

## §. I.

**S**tatuimus, vt, quandocunque Imperator vel Rex Romanorum solennes Curias suas celebrauerit, in quibus Principes Electores sua deseruire seu exercere debent officia, subscriptus in his ordo seruetur.

§. II. Primo enim, Imperatore vel Rege ipso in sede Regia sive solio Imperiali sedente, Dux Saxoniae agat officium suum hoc modo. Ponetur enim ante aedificium sessionis Imperialis vel Regiae, aceruus auenae, tantae altitudinis, quod pertingat vsque ad pectus, vel antelam equi, super quo sedebit ipse Dux, & habebit in manu baculum argenteum, & mensuram argenteam, quae simul faciant in pondere duodecim marcas argenti, & sedens super equo, primo mensuram eandem de auena plenam accipiet & famulo primitus venienti ministrabit eandem. Quo facto, figendo baculum in auenam recedet, & Vicemareschallus eius, puta N. de Pappenheim, accedat, vel eo absente Mareschallus Curiae vterius auenam ipsam distribuet.

§. III. Ingresso vero Imperatore vel Rege ad mensam, Principes Electores Ecclesiastici, videlicet Archiepiscopi, stantes ante mensam cum ceteris Praelatis, benedicent eandem, secundum ordinem, qui circa haec eis in superioribus est praescriptus, & benedictione completa, iidem Archiepiscopi omnes si adsunt, alioquin duo, vel unus, Sigilla & Typaria Imperialia sive Regalia a Cancellario Curiae recipient, eoque, in cuius Archicancellariatu Curiam ipsam celebrari continget, in medio procedente, & aliis duobus ex alterutro latere sibi iunctis, Sigilla & Typaria ipsa, omnes quidem baculum, in quo suspensa fuerint;

mani-



manibus contingentes, ea portabunt, & ante Imperatorem vel Regem reuerenter ponant in mensa, Imperator vero, siue Rex, eadem ipsis statim restituet, & in cuius Archicancellariatu hoc fuerit, vt praefertur, is maius Sigillum collo appensum vsque ad finem mensae gestabit, & deinceps, donec ad hospitium suum perueniat ab Imperiali, siue Regali Curia, equitando. Baculus vero, de quo praemittitur, esse debebit argenteus, duodecim marcas argenti habens in pondere: cuius tam argenti, quam pretii partem tertiam vnuquisque Archiepiscoporum ipsorum persoluet. Et baculus ipse protinus, vna cum Sigillis & Typariis debet Cancellario Imperialis Curiae assignari, in vslis suos beneplacitos conuertendos. Postquam autem is, quem ordo tetigerit, portando Sigillum maius, ab Imperiali Curia ad hospitium suum redierit, vt praefertur, statim Sigillum ipsum, per aliquem de suis familiaribus, praedicto Imperialis Curiae Cancellario remittet super equo, quem iuxta propriae dignitatis decentiam & amorem, quem ad Cancellarium Curiae (\*) gesserit, ipsi Cancellario tenebitur elargiri.

§. IV. Deinde Marchio Brandenburgensis Archicamerarius, accedit super equo, habens argenteas pelues cum aqua in manibus, ponderis duodecim marcarum argenti, & pulcrum manutergium, & descendens ab equo dabit aquam Domino Imperatori vel Regi Romanorum manibus abluendis.

§. V. Comes Palatinus Rheni intrabit similiter super equo, habens in manibus scutellas argenteas, cibis impletas, quarum quaelibet tres marcas habeat in statera, & descendens ab equo portabit & ponet ante Imperatorem vel Regem in mensa.

§. VI. Post hoc Rex Bohemiae, Archipincerna, veniat similiter super equo, portans in manibus Cuppam seu scyphum argenteum, ponderis duodecim marcarum, cooptum, vino & aqua permixtum, impletum, & descendens,

(\*) Capit. Leop. art. 40. Caroli VI. & VII. art. 25.



dens de equo scyphum ipsum Imperatori vel Regi Romanorum porriget ad bibendum.

§. VII. Sicut autem hactenus obseruatum fuisse compemus, ita statuimus, vt, peractis per Principes Electores Seculares praedictis eorum officiis, ille de Falckenstein Subcamerarius equum & pelues Marchionis Brandenburgensis pro se recipiat. Magister Coquinae de Nortenberg equum & scutella Comitis Palatini: Vicepincerna de Limburg, equum & scyphum Regis Bohemiae: Vicemareschallus de Pappenheim equum, & baculum & mensuram praedictam Ducis Saxoniae. §. 8. Si tamen ipsi in tali Imperiali seu Regali Curia praesentes existant, & eorum quilibet in officio (\*) suo ministret. Si vero ipsi vel eorum aliqui a praefata Curia se duxerint absentandos: ex tunc Imperialis vel Regalis Curiae quotidiani ministri, vice absentium, puta quilibet in loco eius absentis, cui in vocabulo, seu officio communicat, sicut geret officium, sic tollat in praemissis & fructum.

### CAPVT XXVIII. (DE MENSIS IMPERIALIBVS ET ELECTORALIBVS.)

#### §. I.

Imperialis insuper mensa vel Regia sic debet aptari, vt ultra alias aulae tabulas siue mensas in altitudine sex pedum sit altius eleuata, in qua praeter Imperatorem duntaxat, vel Regem Romanorum die solennis Curiae nemo penitus collocetur.

§. II. Sedes vero & mensa Imperatricis siue Reginae parabitur a latere in aula ita, quod ipsa mensa tribus pedibus Imperiali siue Regali mensa sit bassior, & totidem pedibus eminentior supra sedes Principum Electorum, qui Principes, suas inter se in una eademque altitudine sedes habebunt & mensas.

#### §. III. In-

(\*) Capit. Ferd. II. art. 41.



§. III. Infra Sessionem Imperialem mensae pro septem Principibus Electoribus Ecclesiasticis & Secularibus praeparentur, tres videlicet a dextris, & tres aliae a sinistris, & septima directe versus faciem Imperatoris vel Regis, sicut superius in capitulo de sessionibus & ordine Principum Electorum per nos est clarus definitum; ita etiam, quod nullus aliis, cuiuscunque dignitatis vel status existat, seat inter ipsos, vel ad mensas eorum.

§. IV. Non liceat autem alicui praedictorum secularium Principum Electorum, peracto officii sui debito, se locare ad mensam sibi paratam, donec alicui suorum Co-principum eius officium restat agendum. Sed cum aliquis eorum vel aliqui ministerium suum expleuerint, ad praeparatas sibi mensas transeant, & iuxta illas stando expectent, donec ceteri ministeria sua expleuerint supradicta, & tunc demum omnes & singuli pariter ad mensas sibi paratas se locabunt.

§. V. Inuenimus etiam, ex clarissimis relationibus & traditionibus antiquorum, illud a tempore, cuius contrarium non habetur memoria, per eos, qui nos praecesserunt feliciter esse iugiter obseruatum, ut Regis Romanorum futuri Imperatoris, in Ciuitate Franckenfort celebraretur Elec-tio, & prima Coronatio Aquisgrani, & in oppido Nuremberg prima sua Regalis Curia haberetur. Quapropter certis ex causis, etiam futuris praemissa seruari debere temporibus declaramus, nisi praemissis omnibus, seu eorum alieni, impedimentum legitimum obuiaret.

§. VI. Quandocunque insuper aliquis Princeps Elector Ecclesiasticus, vel etiam Secularis, iusto impedimentoo detentus, ad Imperialem Curiam vocatus venire non valens, Nuncium vel Procuratorem, cuiuscunque status vel dignitatis transmiserit, missus ipse, licet loco mittentis iuxta datum sibi ab eo mandatum admitti debeat, in mensa tamen, vel sede, quae illi, qui ipsum transmittit, deputata fuit, non sedebit.

§. VII. Praeterea consummatis his, quae in Imperiali  
Nn qualit-



qualibet curia sive Regali fuerunt pro tempore disponenda, recipiet Magister curiae pro se totum aedificium, seu lignum apparatum Imperialis sive Regiae sessionis, vbi federit Imperator vel Rex Romanorum cum Principibus Electoribus ad celebrandas solemnnes curias vel feuda, sicut praemittitur, Principibus conferenda.

### CAPVT XXIX.

## DE IVRIBVS OFFICIALIVM, DVM PRINCIPES FEVDA SVA AB IMPERATORE VEL REGE ROMANORVM RECEPIVNT.

### §. I.

**D**ecernimus hoc Imperiali Edicto, vt Principes Electores, ecclesiastici & seculares, dum feuda sua sive regalia ab Imperatore vel Rege recipiunt, ad dandum vel soluendum aliquid, nulli penitus sint adstricti. Nam pecunia, quae tali praetextu (\*) persoluitur, officiatis debetur. Cum ergo ipsi Principes Electores cunctis Imperialis Curiae praefint officiis, suos etiam habentes in officiis huiusmodi substitutos, datos ad hoc Romanis Principibus & dotatos, videtur absurdum, quod substituti officiales a suis superioribus quoconque quae sito colore xenia (\*\*) postularent: nisi forte ipsi Principes Electores sponte & liberaliter his aliquid largirentur.

§. II. Porro ceteri Principes Imperii, Ecclesiastici vel Seculares, dum praedicto modo eorum aliquis feuda sua ab Imperatore Romanorum vel a Rege suscipit, Imperialis sive Regalis officialibus dabit Curiae sexaginta tres marcas argenti cum uno fertone, (\*\*\*) nisi eorum aliquis privilegio seu indultu Imperiali vel Regali tueri se possit, & proba-

(\*) Capit. Caroli VI. & VII. art. XI. & art. XVII.

(\*\*\*) Capit. Caroli VI. & VII. art. XVII.

(\*\*\*\*) conf. VFFENBACH de iud. aul. c. XI. p. 124. ut & CASS. THYCELI elect. iur. publ. P. I. p. 253.



probare, se solutum vel exemptum a talibus, aut etiam aliis quibuscunque, quae solui in susceptione feudorum huiusmodi consueuissent. §. 3. Praedictarum insuper sexal- ginta trium marcarum & fertonis divisionem faciet Magis- ter Curiae Imperialis siue Regalis, hoc modo: *Primo enim decem marcas pro semetipso reseruans, dabit Cancellario Imperialis siue Regalis Curiae decem marcas: Magistris, Notariis, Dictatoribus, tres marcas, & Sigillatori pro cera & pergamo vnum fertonem, ita videlicet: quod Cancellarius & Notarii, Principi recipienti feudum, non ad aliud quam ad dandum sibi testimonialem recepti feu- di, seu simplicis inuestiturae litteram, sint astricti.* (\*) Item dabit Magister Curiae Pincerna de Limburg de pta- fata pecunia decem marcas, magistro coquinae de Nor- temberg decem marcas, Vicemareschallo de Pappenheim decem marcas, & Camerario de Falckenstein decem mar- cas. Tali tamen conditione, si ipsi & eorum quilibet in huiusmodi Curiis (\*\*) solemnibus praesentialiter adsint in suis officiis ministrando. Si vero ipsi, vel aliqui eorum absentes fuerint, ex tunc officiales Imperialis siue Regalis Curiae, qui talibus praesunt officiis, eorum, quorum sup- plent absentiam, singuli singulorum, sicut vicem, nomen- que & laborem sufferunt, sic lucrum & commoda reportabunt.

§. IV. Dum autem Princeps aliquis equo vel alteri be- stiae insidens, feuda sua ab Imperatore recipit, vel Rege, equus ille seu bestia, cuiuscunque speciei sit, debetur su- periori Mareschallo, id est, Duci Saxonum, si praesens adsuerit. Alioquin illi de Pappenheim, eius Vice-Mare- schallo, aut, illo absente, Imperialis siue Regalis Curiae Mareschallo.

Nn 2 CA-

(\*) Capit. Caroli VI. & VII. art. XI.

(\*\*) Capit. Caroli VI. & VII. art. III.



**CAPUT XXX.**  
**DE INSTITUTIONE PRINCIPVM**  
**ELECTORVM IN LINGVIS.**

**§. I.**

**C**um sacri Romani Celsitudo Imperii, diuersarum nationum moribus, vita & idiomate distinctarum leges habeat, & gubernacula (\*) moderari, dignum est & cunctorum sapientium iudicio censetur expediens, quod Electores Principes, ipsius Imperii columnae & latera, diuersorum idiomatum & linguarum differentiis instruantur, ut plures intelligent & a plurimis intelligentur, qui plurimorum necessitatibus relevandis Caesareae Sublimitati afflent, in partem solicitudinis constituti.

**§. II.** Quapropter statuimus, vt illustrium Principum, puta Regis Bohemiae, Comitis Palatini Rheni, Duci Saxonie, & Marchionis Brandenburgensis, Electorum filii, vel haeredes, & successores, cum verisimiliter Teutonicum idioma sibi naturaliter inditum scire presumantur, & ab infantia didicisse, incipiendo a septimo aetatis suae anno, in Grammatica, Italica ac Slauica linguis instruantur; Ita, quod infra quartum decimum aetatis annum existant in talibus iuxta datam sibi a Deo gratiam eruditis; cum illud non solum vtile, imo, ex causis praemissis summe necessarium habeatur, eo quod illae linguae, ut plurimum ad usum (\*\*) & necessitatem sacri Imperii frequentari sint solitae, & in his plus ardua ipsius imperii negotia ventilentur.

**§. III.** Hunc autem proficiendi modum in praemissis ponimus obseruandum, vt relinquatur optioni parentum, vt filios suos, si quos habuerint, seu proximos, quos in Principatibus sibi credunt verisimiliter successuros, ad loca dirigant, in quibus de huiusmodi linguis possint edoceri,

(\*) Vide ad hoc caput comment. ad A. B. de LVDEWIGII T. II.  
p. 1344. seqq.

(\*\*) vid. cap. *Caroli V. art. 14. Caroli VI. & VII. art. 23.*



ceri, vel in propriis domibus paedagogos, instructores & pueros consocios in his peritos eis adiungant, quorum conuersatione pariter & doctrina in linguis ipsis valeant erudiri. (\*)

## CAROLI VI. SANCTIO PRAGMATICA AVSTRIACA.

Wien den 6. December 1724.

**S**ic Earl von Gottes Gnaden, Röm. Kaiser, zu allen Zeiten Mehrer des Reichs, in Germanien, Castillien, Legion, Arragonien beeder Sicilien, in Jerusalem, Hungarn, Boheim, Dalmatien, Croatiens, Sclavonien, Navarra, Granada, Toledo, Valenzien, Gallicien, Majorca, Hispania, Sardinien, Corduba, Corsica, Murcia, Algarbien, Algezira, Gibraltar, derer Canarischen Insulen, in Ost- und West-Indien, deren Insulen und Terrae firmae des Oceani, König ic. Erz-Herzog von Oesterreich, Herzog von Burgund, Lothringen, Brabant, Limburg, Luxenburg, Geldern, Mayland, Steyermarck, Cärnthen, Crain, Württemberg, Ober- und Nieder-Schlesien, Athen und Neopatrien, Fürst zu Schwaben; des Römischen Reichs Marggraf zu Burgau, Mähren, Ober- und Unter-Lausitz, Graf zu Habsburg, Flandern, Artois, Tyrol, Barcelona, Pfyrz, Ryburg, Görz, Roufflion, und Eerdagne; Landgraf in Elsas; Marggraf zu Oristanj und Graf zu Gezeane; Herr von der Windischen Mark, Sclavonien, Portenau, Biscaya, Molins, Salins, Tripolis und Mecheln ic.

M n 3

Fügen

(\*) Quod ad aureae bullae descriptionem, denominationem, figuram &c. attinet, videri potest apud B. G. STRVVIUM corp. iur. publ. c. 6. p. 128. edit. len. 1738.

